

V
B
J
C


Biblioteka Jagiellońska
stdr0015353

Anna Austriaca
Poloniae Sueciaeque Regina.

Varsevicii Christoph: In mortem Annae Austriacae Poloniae Sueciaeque Reginae Oratio. Crac. 1598.



CHRISTOPHORI VARSEVICII,

In Mortem ANNÆ AVSTRIACÆ POLONIÆ SVECIÆQVE REGINÆ:

Oratio.

Ex donatione Ex[cellentissi]mi d[omi]ni Andreae Bocani Cracoviensis mathematum Professoris Collegio minori.



CRACOVIÆ,

In Officina LAZARI, Anno Domini,

1598.

1ma Junii coepi legere hunc librum in Collegio minori 1762do anno.

ipsa habet oratio) Austriacorum Principum sistat funera, & te tuamque inclytam prolem faciat aspicere lætiora. Tibi ego, At quali & quantæ? à diuina bonitate felicissima omnia precatus, seruitutem meam demissè commendo. Varsauia, xiij. Feb. Anno XCVIII.



Christophori Varsevicii,

IN MORTEM ANNÆ AVSTRIACÆ, POLONIÆ SVECIÆQVE REGINÆ:

Oratio.



ABiit Reginarvm decvs et ornamentum, Anna Auſtriaca, Poloniæ Sueciæq́; Regina; ſi modò abijſſe, & non in illud beatarum mentium concilium, eam auolaſſe potiùs eſt credendum; in quo ſpe & deſiderio ſemper ante verſata, hîc verò piè ſanctéque defuncta, hanc mortalem conditionem vitæ immortalitate cumulauit. Nullius tantum orationis eſt flumen, nulla tanta dicendi vis & copia, quæ optimæ & pijſſimæ huius Reginæ merita, non ſolùm pro dignitate laudare, ſed enarrare poſſit. Quæ enim non expreſſiſſima reliquit veſtigia, virtutis, pietatis, prudentiæ, & in egenos benignitatis ſuæ ſingularis? Meliùs vixit, quàm alter aliquis ſcripſit: ſanctiùs marito fidem ſeruauit, quàm

stylus aureus.

literis consignauit, placidè magis obijt, quàm viuere & emori non nemo peroptauit. Quò circa cũ nulla non mortuæ debeatur laudatio, vt vel in aliquam temeritatis incurrendum sit reprehensionẽ, ingratum animum erga eam vitemus, & quöad eius facere pulchrius concinniusque, si non peritè possumus, vitam virtutemq; ipsius apud omnes celebremus. Natam Austriaca familia, at quali & quanta? nemo ignorat: vtpotè, quæ Cæsares decem, reges Hispaniarum tres, plures Hungariæ & Bohemiæ, vt aliorum regnorum & prouinciarum titulos & possessiones, & ipso orientis & obeuntis solis, quæ Austriaci tenent vltima, taceam, procreauit. Sed multò maior ipsiusmet Reginæ virtutis, quàm generis fuerit commendatio. Etenim cùm claris genitoribus nasci habeatur gloriosum, tum verò à maioribus non degenerasse suis, multò etiã magis ad omnem posteritatem commendandum; quæ vna eorum virtutem sic æmulata est, vt patre Carolo, Archiduce Austriæ, matre Maria, Bauariæ Ducissa nata, omnes illos antiquæ pietatis Austriacos & Bauaricos Cæsares atque Principes retulisse

videa-

videatur. Magna, vt vetuſtiora ſilentio tranſeam, magna, inquam, Cæſaris Ferdinandi aui, & Caroli patris Archiducis Auſtriæ fuerat gloria, quippè cùm auus, neſcio ſi non cum Anachoritis ipſis pietate & innocentia olim certauerit, & filius per omnia ſimilem patri, quod quidem religionem ſpectat ſe præſtiterit. Clara eſt materni aui Alberti Bauariæ Ducis, & eius filij Guilhelmi, virtutis & pietatis magnitudo: nempè cùm auus priſtinum Germaniæ decus, & Catholicam auitam religionē, contra Imperij rebelles, Smalchaldico, quod vocant, bello tutatus, in hoc etiam Guilhelmo ſuo filio, & denique nepote Maximiliano, qui iam gubernacula Bauarię tenet, optimè & ſanctiſſimè educatis, teſtatum reliquerit; quàm exiguus numerus verè Catholicorum Principum ipſis ſimilium in orbe terrarum reperiatur. Verùm non minori huius noſtræ Annæ Reginæ Poloniæ atq; Sueciæ, ſemper & vbiq; effulſit ſanctimonia; quæ, ex quo eſt nata, quod nō dedit exemplum in Deum pietatis, & in parentes obſeruantiæ ſuæ prorſus mirandę? Nam nullibi quidem, abſit inuidia dicto, gentiū, quàm in Cæſarea Auſtri-

aca

aca domo, liberi Principum ſanctius educantur, nullibi omnis generis & nominis virtutes felicius diſcuntur, nullibi optima quæq; præcepta & inſtituta vitæ ab incunabulis facilius imbibuntur. Iam verò annum ætatis nonum & decimum agens, ex illo tam pleno pudoris & caſtitatis gynæceo, ex illa tam nobili & decora educatione, regij thori in Poloniam aſſcita ſocia, quam ſubitò apud omnes nō ſuſcitauit de ſe præclaram expectationem? quam ſpem bonitatis ſuæ non dedit? quod non humanitatis ac clementię ſpecimen edidit? qua omnes eos, qui vel illam ſemel intuiti ſunt, in admirationem amoremq́; ſui quodammodo rapiebat. Erat non nemo, qui nunquam fortaſsè antea ipſam viderat, nec penitiores animi ſenſus vſquequaque habebat exploratos, mox oris illius dignitatem, & tot tantaq́ue alia animi & corporis ornamenta, ac deniq; eximiam quandam naturam ac placabilitatem ſecum ipſe recognoſcens, repentè vt turbinū & tempeſtatis, ſic ſenſus & voluntatis ſuæ erga eam commutationē fieri non ægrè patiebatur. Habet quippè vim tantam regalis præſentia, & amplitudo maieſtatis,

ieſtatis, vt non tantùm aliquorum abalienatos, ſed vel obſtinatos etiam ad cædem principum animos aliquando commutauerit. Quò minus mirêre, tanta quidem lætitia & legatorum externorũ concurſu, primùm nuptias, mox & vnigenæ filiæ natiuitatem celebratam ipſius fuiſſe, quanta ab vlla hominum memoria, vix alia celebrata memoratur. Hanc ſubſecuta eſt, regia in Sueciam profectio, à qua diuelli nullo modo potuit, quo minus maritũ periculoſiſſimę nauigationi ſe committentem, bonæ ſpei & alacritatis plena, lubens comitaretur. Tempeſtatem quidem, alieno anni tempore vecta, in Baltico mari experta eſt maximam, & non nemo precibus eius die noctéq; ad Deum Opt: Max: fuſis, acceptum tulit; quòd vi ventorum claſſe diſiecta, in vrbẽ & domicilium regale Stocholmiam ſaluus & incolumis rex ipſe appuliſſet. In quo demũ Regno, filiam enixa alterã, mirum eſt, quot & quanta alia præſtiterit opera pia, & meritò annalium memoriæ ad poſteritatem inſerenda. Dabat ipſa ſingulis hebdomadis manu ſua eſculenta & poculenta pauperibus, & tam benignè ac liberaliter eos tra-

ctabat, vt vel eorum aliqui, qui ab orthodoxa religione errore ſeculi abhorrere conſueuerant, antiquos mores & pietatē diuinitùs ſibi reſtitui cupere, & eam Reginam cælitus delapſam, diuinoq́; munere & conceſſu pauperibus datam, confiteri viderentur. Nolo verò commemorare, quot & quantas profuderit lachrymas, cùm neſcio quæ ſuſpicio de tumultibus Sueticis increbuiſſet. Taceo quòd auctorem marito præſtiterit ſe ſemper, regni illius rebus rectè compoſitis, vel quàmprimum in Poloniam reuertendi, in quo ipſo perſpicax quædam & inſignis ipſius enituit prudentia. Omnia namque regna, ſed Polonicum maximè, tot tantisq́; vicinis infeſtis ſeptum, diuturnam abſentiam regis ægrè tolerauèrit. Non deniq; referam, quám perhonorificam Polonici nominis & generis fecerit vbique mentionem, quoties ea de re vltro citroq́; aut à rege, aut ab aliis ſeri ſemones audiebat. Venio nunc ad maiora, ſi maiora dici debent, quæ hac eadem Regina duce & auſpice, pace & quiete publica terminata ſunt & fuerunt. Nam quanta inter domū Auſtriacam & Regnum noſtrum ea ſeſe interponēte ſub-

te subsecuta fuerit confisio, testantur id primũ itinera matris iteratò in Poloniam suscepta, quam illa summa obseruantia & veneratione perpetuò coluit, & eius comites omnes omnium liberalissimè identidem munerata est: testantur tot & tantorum illustrium virorum legationes, vltrò citroq; susceptæ, & à longissimis regionibus in Poloniam allegatæ: Cæsaris aliquot, Regis Hispaniarum potentissimi Catholici vna, Bauariæ Ducis in Suecia altera, Pontificis verò Maximi Clementis VIII. amplissimum Legatum, Cardinalem Caietanum, si memorare in ijsdem legationibus vellem, præposterè id facerem, qui aliarum rerum & negotiorum gratia, bono, vt credere par est, nomine & omine extitit amandatus. Verùmtamen in illa tanta negotiorum mole & varietate, & tanti Principis affecta valetudine, & in continuo quodam motu & profectione, quantoperè hunc Reginæ refecerit humanitas, non certè aliquo modo fuerit dubitandũ. Hanc enim solam legati omnium gentium suspiciebant: in huius colloquio conquiescebant: hanc vnicè vniuersi diligebant. Quid porrò de affabili-

tate erga proceres? quid de comitate erga inferiores? quid de mansuetudine & clementia ipsius erga omnes loquar? Est communis Austriacorum regũ mos, moderationis animi & benignitatis laude, potissimùm claruisse. Sed hæc nostra Regina, non solùm auorum gloriam, verùm ipsam adeò antiquitatis memoriam hac in parte superauit. Nemo ab ea discessit mœstus: nemo non contentus: nemo si non re, saltem spe aliqua consolatus; sic vt in hoc laudis & gloriæ campo eadem prædicanda, non modò dies, verùmetiam ætas penè ipsa me deficeret. Tanta summorum Regum & Reginarum pręstantibus in Rempub: meritis, difficultas fuerit dicendo respondisse. Sed age progrediamur. Nam quanta & in re familiari illius cura, quantus ordo, quanta educandis liberis fuerit vigilantia, paulisper etiam, si libet, inspiciamus. Summa quidem certè, siue domesticorum suorum, quam gessit curam videas, siue gynæcei pudicitiam & disciplinam consideres, siue quodcunque aliud, quod ad splendorẽ & dignitatem aulæ pertinet, in ea intueare. Soluendo suis semper erat omnibus, præstò aduenis & hospi-

hoſpitibus: non contenta facilè remiſſis in officio familiaribus: acres in omnes partes inferebat oculos: animum tanquam arcum habebat continuò tenſum, in diuino cultu & cæremonijs aſſiduè obeundis: concionatoribus & confeſſarijs delectabatur probis: fauebat ſemper, & apud regem patrona extiterat bonis: omnis decoris perpetuò tenax & æquitatis, vltrò ipſa indignitate mouebatur rei, optimo cuique faciebat aliquid ſpei: in priuatis colloquijs familiaritatem, in publicis amplectebatur grauitatem. Quid multa? cùm ita ferè ſexennium cũ marito exegiſſet, & annum ætatis ſuæ quintum ac vigeſimum attigiſſet, plurimis nec opinantibus in morbum incidit grauem, in quo pulcherrimum filiolum, cui nomen Chriſtophoro ad ſacras vndas priuſquàm moreretur impoſitum eſt, expirauit: at quomodo expirauerit, ſine lachrymis dici non poteſt. Nempè biduo antè ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti perceptione expiatis peccatis, Rege & Regno Deo Opt. Max. commendatis, marito & familiaribus peramanter ſalutatis, cùm eadem die illa, quæ in IV. Idus Feb: inciderat, præſente rege

 vocauit

vocauit ad ſe medicum, Ioannem Baptiſtam Gemmam, à quo liberè, quantùm adhuc ad viuendum ei reſtaret virium, ſcire voluit: & cùm vires quidem non adeò imbecillas, ſed tamen tempus iam inſtare audiuiſſet; ad Pontificis Maximi legatum, virum omnibus laudibus extollendum, Germanicum Malaſpinam peccatorum veniam petens, ſuum à confeſſionibus miſit; & iterum ſacroſanctam ſuſcipere Euchariſtiam ea die cogitauit: quo paululum tardante, maritum blandiſſimè conſolata, & quòd hora, qua ſepararentur inſtaret, locuta, tanquam aliud aliquid quàm animam agens, & Deo Opt: Max: maritoq́ue ſe ſuosq́ue commendans, in ſella inter medios collachrymantium mulierū greges ſedens, in manu ſacerdotis pro ea orantis, vitam cum morte placidiſſimè commutauit; vt non ſit dubitandū, animam eius eò volaſſe, vbi iam pridem verſari & eſſe, non modò animo, ſed & corpore toto anhelabat. O natura nouerca, quæ coruis, ceruis, anguibus, anſeribus, vitam dediſti longiſſimam; hoc verò tam breui temporis curriculo, tot ac tantos Auſtriacos Principes è medio ſuſtuliſti! Quoties, ſi

natu

Corvi, cervi 100 annos et ultra vivunt.

natū grandiores & maſculos primùm, demum & fœminas ſpectes, Ferdinandum, Carolum, Erneſtūm, Venceſlaum, Archiduces Auſtriæ, Duciſſam Bauariæ, Ferdinandi Cæſaris filiam, & eius ſororem Halæ in Monaſterio degentem, deinde Reginam Franciæ, & huius Reginæ demortuæ ſorores germanas duas, ac denique Philippi Hiſpaniarum regis filiam, Duciſſam Sabaudiæ, antè eam mortuas recordamur; vtinam quidem hac decima Deus Opt: Max. contentus, Auſtriacorum ſiſtat funera, & aſpicere faciat lætiora. Sed iam ad ſuum quod aiunt finem decurrat oratio: vno illo addito, & quaſi alicui pigmeo gigantis capiti ſuperimpoſito huic noſtræ infantiæ & tenuitati dicendi, quod videlicet huius atque tantæ Reginæ, ad omnem perpetuitatem vigebit memoria: cuius cum Heduigis olim Vladiſlai Iagellonis regis Polonię coniuge moribus & reſponſionibus dandis magna eſt ſimilitudo. Illa à patris ſui Ludouici Hungariæ & Poloniæ regis morte diu multumq; expectata, ex Hungaria in Poloniam multis comitantibus venit: hæc itē à patris ſui Caroli Archiducis Auſtriæ obitu, matre

& tot

& tot proceribus eam ſequente ex Auſtria in hoc Regno, veluti ſydus aliquod emicuit. Illa ſeruatam ob fidem Ordines: hæc homines omnes amantes ſe redamauit. Illa aliquando agricolis, à regijs ablata, ſibi reſtitui cum profuſis lachrymis efflagitantibus, vt res ablatæ reſtituerentur, quis eorum reſtituere poſſit lachrymas, maritum monuit: hæc itẽ aulicis emerita ſtipendia à reditu ex Suecia regio petentibus, vel ſuâ ſuppellectili argentea coniugi offerenda, neceſſitati eorum ſuccurrere non dubitauit. Illa Academiam & Academicos Cracouien: hæc tot templa & Xenodochia liberalitatem ſuam identidem experiri lubens permiſit. Illa religionis Catholicæ propagandæ cauſa, cum Vladiſlao marito ſæuiſſima hyeme in Lithuaniam iuit: hæc eiuſdem rei gratia in Sueciam adeò ipſam cum ſuo Sigiſmundo nauigauit. Illa pacificationi cuidam cum Crucigeris Pruſſicis à Rege & Ordinibus præpoſita, ad eorum minas Gruneualdenſem cladem, qua infinita perierunt eorum millia, diuinitùs prædixit: hæc hoſtibus regijs quibuſcunq; non multũ felicitatis ſemper denunciauit. Ac breuiter: Illa in

puer-

puerperio, hæc in eodẽ obijt. Illa in Polonia morte ſua plurimum luctus, hæc non minus excitauit. Illa magna pietatis & ſanctimoniæ exempla, hæc non minora reliquit. Illa in Hungaria & Polonia, & quacunque tranſibat, miram in egenos liberalitatem exercuit: hæc per multa Europæ regna & Prouincias, Auſtriam, Morauiam, Sileſiam, Poloniam, Sueciam, ſingularem beneficentiam erga eoſdem declarauit; & quolibet octiduo cibum & potum ſuis manibus ijs ſubminiſtrauit; ſic vt locis temporibusq́ue diſtinctæ, ad vnum & idem genus vitæ, & haud ſcio an mortis conſpiraſſe videantur. Sunt enim multa multis, ſed regali ſanguine ſemineq́; ortis, magnæ affinitates bonitatis. Quæ cùm ita ſint, & cùm bonorum regum ac reginarum grauis iactura ſit ſemperq́ue fuerit, tam immaturam, & nec opinatam Reginæ mortem, pro eo ac par fuerit, dolenter feramus, & ipſius animæ æternam concedi requiem diuinitus peroptemus. Equidem multas in omni memoria præſtantes reginas Poloniam habuiſſe credo, ſed ex Auſtriaca maximè familia non dubitanter confirmo & contendo. Quæ

enim Elizabeta Auſtriaca, hoc nomine tertij Poloniæ Regis coniuge ſanctior? quæ prudentior? quæ Reipub. fuit commodior? Hæc indigenti marito bello Pruſsico pecunia ſuccurrit: hæc Tencinij cæde Cracouiæ ſeditionem ortam marito abſente ſedauit: hæc Albertum filium contra quorundam molitiones ſubmiſſis peditum Cracouiæ cohortibus Petricouiæ Regem creauit: hæc tot tantaque pro commodis & ornamentis regum & regni perpetuò procurauit: hæc poſtremò complures enixa filios, quatuor ex ijs Reges, Cardinalem vnum, & vnum item in diuos habuit relatum Cazimirum. Hæc item filias aliquot, ſummis Germaniæ principibus, in matrimonium datas, & ad dubia huius Reipub. tempora, veluti in ſtatione ſortita eſt collocatas. Quid porrò Elizabeta altera, Ferdinandi tum Romanorum Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, Sigiſmundi Auguſti Regis vxore, maius & illuſtrius exemplum veteris extitit ſanctitatis? Quid Catharina defunctæ ſoror, eiuſdem verò Ferdinandi filia, & Sigiſmundi Auguſti Regis thori item ſocia, Regina lectiſſima & ſpectatiſsima

S. Casimirus ex domo Austriaca materno sanguine

tiſsima

tiſsima melius fuit, aut eſſe potuit? Quorùm omnium celeritatem mentis firmitate, intelligentiam conſilio, temperantiam, morum & vitæ conſtantia, non ſecus ac curſum curſu, & gemmam gemma, hæc noſtra ſuperauit. Quam quidem ego ex illo pleno ſyderũ & illuſtri loco, paulò ad hæc reſpicientem ima, teq́ue Sigiſmunde Rex, prolemq́ue tuam intuentem, & ad eum modum verba apud te facientem mihi videre videor. Diſce, inquit, marite iuſtitiam monitus, & non temnere tuos. Incumbit quidem omnium, ſed potiſsimum cura tibi tuorum, nec vlla magis re, quàm ijs promouendis expedierit delectari. Quod non ideò ſanè dixero, quòd hæc minus præſtare, aut aliquando videare præſtitiſſe, cuius non adumbrata, ſed expreſſa extant veſtigia multa admirabilis bonitatis. Verùm quòd vita breuis, mors certa, genus, locus, & hora ipſius nemini fuerit explorata; & quòd Sigiſmũdus Poloniæ Rex, imò Caroli V. Cæſaris teſtimonio, & quòd pater tuus maternus auus, hunc verſiculum habebat in ore, qui etiamnum ſpactatur in ipſius effigie; Non poteſt ſeruus immemor eſſe mei. Ni-

hil profectò natura principum melius, quàm vt velit; nihil habuerit amplitudo maius, quã vt poſsit beneficia largiri quamplurimis. Caduca & fragilia iſta ſunt, quæ fortunæ & temporum appellantur munera, in quibus non tam copia, quam & ijs vtendis ratio atq; prudentia, & carendis deſiderari debet patientia: & hoc deniq; Regibus perſuaſum ſit ſemper, quòd nulla alia magis excitioſa & capitalis Reipub. eſt peſtis, quàm munerum & facultatum ipſius inæqualis diſtributio, ob quã in ea tanquam in corpore ſano, inſanabiles morbi plerumque oriuntur. Cuius quidem diſtributionis ſcientiam, vt præter vnum illum Deum Opt. max. exactè calluerit nemo, tu tamen ad illam diſcendam conniti vel potiſsimum debes, & diuino auxilio fretus, etiam aſſequi vel aliqua ex parte proculdubio potes: tametſi non obſcurè præ nobis ferendum confitendumq; eſt, nihil tam eſſe incredibile, quã omnibus ſatisfeciſſe, & vt optima conſilia ineantur, euentus ipſorum præſtitiſſe: habes tamẽ quod pariter ſperare & optare volo, ſubiectos fidos, & omni genere officij ac obſeruantia tibi addictos,

qui

qui vel nutantem, & in mediis fluctibus conſtitutum, nunquam te deſerent, & priſcam maiorum ſuorum fidem & conſtantem erga te teſtabuntur voluntatem. His dictis ad vos viri Poloni Lithuaniq́ue verſa, ſic viciſſim fatur: O vos Senatores & Equites mei, quorum Deus Opt. Max. vt adhuc fecit, ſartam tectamq́; conſeruauerit libertatē. Quid in hoc marito meo Rege veſtro, tātoperè requiratis? An ille regno patrito & auito & hæreditario poſthabito, tā ſcopuloſo mari totq́; periculis ſe committens, ad vos non venit? an tot tantisq́; victorijs & triumphis vos non beauit? an contra omnes Chriſtiani & Romani nominis hoſtes non defendit? an tanto honore & dignitate non cumulauit? vt acceſſione Sueciæ atq; Liuoniæ, ad ipſos extremos terrarum populos, imperij veſtri terminos videamini protuliſſe. De huius animo & voluntate erga vos, qui aliquando dubitetis? Viuet ille & morietur hic vobiſcum lubens, veſtram incolumitatem, veſtram ſalutem, veſtram libertatem ſemper ducit ſuam; veſtra prætioſiſſima quæq; pignora, bona, fortunas, liberos, coniuges, domicilia, vita habet

chariora. Quid reſtat? quid aliud à vobis pro meritis ſuis expectat ſingularibus? niſi vt ei viciſſim, quod præſtare par eſt, in amore mutuo reſpondeatis, & hunc vnicum eius filium atq; filiam, viuam imaginem ſui, ſimulachrum antiquæ Regum Poloniæ bonitatis, ſpem maximam regni, qua cœpiſtis beneuolentia proſequamini. Habebunt, habebũt (certa me ſpes tenet) à patre educationem rectam, & ſatis hæreditatem amplam, memoriam paterni materniq; nominis haud ingratam, cùm in connubio ſummorum Regum atq; Principum, nihil magis conſideretur, quàm ipſa dignitas, vt per quam illuſtres ac digni imperio ſemper relinquantur ſucceſſores. Pulchrum enim eſt Regibus excellentes eſſe, ſed & filios ſui per omnia ſimiles, non minus reliquiſſe. Sortitus eſt hic meus filius, fælix illud Vladiſlaorum regum veſtrorũ clariſſimorum nomen, qui orbem terrarum, rerum à ſe domi foriſq; geſtarum impleuerunt gloria. Refert antiquorum Poloniæ regum ſpirantem imaginem, æmulabitur eorum virtutem, Auſtriacam & Iagelloniacam nõ turpabit dignitatem. Nemo eſt qui eum intuitus,

non

non auguſtiora indies ab eo ſperet, qui tot regum & principum affinitates, cum eo non expectet; qui non feliciſſima quæq; ei peroptet; in quibus quidẽ affinitatibus quantùm poſitum ſit ſemperq́; fuerit quis ignorat? Etenim cùm omnibus, tum maximè in regno odij & inuidentiæ pleno, amicis & cõſanguineis regibus expedierit obſepiri. Date hoc virtuti & magnanimitati veſtræ, date maiorum veſtrorum mori atque gloriæ, date laboranti patriæ, date ſaluti & dignitati Reipub. vt quos veſtræ à regnando excluſerint leges, illos vos in hoc ſolo natos & educatos, quàm alios vobis potius præficiatis, neq; ad illã amplius lubricam regis eligendi aleam eatis præcipites, in qua optaſſe concordiam magis licuerit, quàm aliquando ſperauiſſe. Hæc poſtremò effata, liberis ſuis ſic eſt locuta. En ego dum vitam largita ſum vobis, tandem diſperdidi meam. Tu qui nouus fueras Cæſar, exciſus es miſer, & mecum ſpe nihilominus occidiſti. Vos qui viui reliqui eſtis non iam tantum effigie, ſed & bonitate nos noſtraq; referatis. At quid nos interim fecerimus cuncti? quöad quidem ſuperſtes fuit, colui-

mus

mus viuam, nunc omni laude non prosequemur mortuam? & pro hac mortali conditione vitæ, nõ imprecabimur beatitudinem illi sempiternam? Mortua est vt viueret, nos viuimus vt quotidiè ferè emoriamur, & maioribus periculis huius & alterius vitæ cumulemur. Vtinam autem illam imitati, ex hac vita non tanquam emigremus domo, sed tanquam ex hospitio, & pro caducis firma, pro fragilibus stabilia sortiamur.



